



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

LXXIX. Christoph von Schneitlingen überläßt dem Kloster Chorin 9 1/2  
Hufen in Herzsprung, am 5. Juni 1346.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

transitoria sunt et caduca, Si hujusmodi littere in scripto aut sigillis aut antiquitate vilescent et perirent, tunc eas sub eadem verborum forma et tenore prehabito prefatis viris aut eorum veris heredibus renovare volumus et debemus. In premissorum verius testimonium cacionemque et permanentiam firmiorem nos frater Johannes, abbas, ut supra scriptum, sigillum nostrum cum sigillo conventus de nostro certe scito presentibus appendendum duximus dignum. Datum et scriptum in antiqua Berlyn, anno MCCCXLIV. presentibus strenuis et validis viris gunthero, juniore comite de Swartzeborg, Hassone de Vchtenhagen, hennyngho seniore de Valkenborg, bethekyno de oost, milite, johanne de Wedele ac pluribus aliis fide dignis in testimonium ad premissa rogatis et vocatis, feria VI. post octavas beati ottonis confessoris.

Aus Diekmann's Urkundenammlung des Königl. geheimen Staats-Archives fol. 218.

LXXVIII. Markgraf Ludwig verleiht dem Jäger Friedelin Sezzel im Dorfe Binnow gewisse Heubungen und erstattet dieselben dem Abte zu Chorin durch andere Heubungen daselbst, am 11. September 1345.

Nouerint etc. Quod nos Ludouicus etc. Contulimus et presentibus conferimus discreto viro fridelino Sezzel suisque veris et legitimis heredibus VI frusta annuorum reddituum, sita in villa pynowe, que quondam lemkinio de kannenberch pertinebant, sub modis, formis, Juribus et conditionibus, quibus dictus lemke eadem tenuit et possedit hactenus, in antea pacifice et quiete perpetuis temporibus possidenda. Pro quibus VI frustis honorabili viro et religioso fratri abbati in choryn seu qui pro tempore fuerit et monasterio in eadem villa alia VI frusta reddituum annuorum tollenda deputauimus et presentibus deputamus, que tamen nos aut heredes nostri ab ipso abbate reemere pro XXX marcis argenti Brandenb. poterimus, quandoque id ipsum nostre placuerit voluntati. In cuius etc. Testes Burggravius, Buch, mautner, Swyker, wolffteiner, hufener, hele, milites, haffe senior, ny. wolkou, ger. wolf et Loterpeck. Datum Berlyn, anno XLV, dominica post natiuitatem virginis gloriose.

Nach dem Copialbuche R. Ludwig I., betr. die Vogtei Barmm Nr. 30.

Anmerk. Die Ueberschrift im Copialbuche lautet: Collatio dicto Sezzel venatori.

LXXIX. Christoph von Schneitlingen überläßt dem Kloster Chorin 9½ Hufen in Herzprung, am 5. Juni 1346.

Nulli dubium, immo cunctis manifestum, quod ea, que ob reuerentiam Creatoris bono zelo fiunt, salutem proueniunt facienti; Hinc est, quod Nos Cristophorus famulus, dictus de Snethlynge, karissimorum fratrum nostrorum vestigiis salutaribus inherendo, de consensu et bona voluntate dilectissimorum nostrorum Johannif, Nycolai, Cristophori, Heinrici et Weneri, fratrum, et Johannis patris predictorum omniumque heredum nostrorum, quorum consensus de jure vel

facto fuerat requirendus, Donacionem Nouem manforum cum dimidio in villa Herfprung per predictos fratres nostros pie recordationis Monasterio in Choryn, Cystericiensis ordinis, Brandenburgensis dyocesis, pietatis inductu liberaliter factam, tam legitimam quam deuotam censentes, Ipsam approbando ratificando presentibus in domino confirmamus. Precariam quoque de octo mansis supra dictis eidem ecclesie deuotius conferendo, Renunciantes expressius omni Juri, si quod Nobis aut progenitoribus seu heredibus nostris competeat seu competere videbatur in bonis memoratis. Nos quoque Johannes, Nicolaus, Christophorus, Henricus, Wernerus et Johannes, famuli, dicti de Snetlynge prefati, qui huic donacioni et renunciacioni spontanea et ex certa nostra scientia assensimus, sigilla nostra presentibus vna cum Cristophoro, principali in premissis collatore, appendimus et appendisse profitemur in Robur perpetuum et testimonium omnium premissorum. Actum et datum Choryn. anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XLVI<sup>o</sup>. feria secunda proxima post dominicam beatissime et indiuidue Trinitatis, Testibus, qui aderant fideliter subnotatis, videlicet Henrico de Wedel, Hermanno Wythen, Reydeken de Brunkow, Henrico Elfholt, Henrico Mörner et Syffrido de Wedel cum aliis pluribus fide dignis.

Nach dem Original des Königl. Geh. Staats-Archives.

LXXX. Markgraf Ludwig überläßt dem Kloster Chorin sieben Stück jährlicher Hebung in Bölfendorf, am 6. September 1346.

Nouerint uniuersi presentes literas inspecturi, quod nos Ludouicus, dei gratia Brandenburgensis et Lufatie Marchio —, ob honorem et reuerentiam omnipotentis Dei, gloriose genitricis sue virginis marie et omnium sanctorum, nec non ob iugem seu perhennem magnificorum principum marchionum brandenburgensium predecessorum nostrorum pie recordacionis, nostre, heredum vel successorum nostrorum animarum memoriam, ut diuinus cultus magis et magis deinceps augeatur, appropriauimus et appropriare decreuimus per presentes septem frusta reddituum annuorum, sita in villa Boldekendorp, ad monasterium et ad conuentum fratrum Ordinis Cystericiensis in Koryn Brandenb. dyocesis perpetuis temporibus sine impedimento quolibet pertinenda. Jure tamen nostro, quod nobis in dictis redditibus competit seu competet reseruato. In cujus testimonium sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Testes sunt nobiles viri Guntherus, Comes de Swarczburg et Johannes de Buch, strenuique viri Albertus de Wolfstein, Johannes de Hausen, Hele, Marscalcus, et Bertoldus de Ebenhausen, coquine nostre magister, milites, Gerke Wolf, Nicolaus de Wolkow cum ceteris fide dignis. Actum et Datum Spandow, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XL<sup>o</sup>. sexto, feria quarta ante diem natiuitatis sancte Marie virginis.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerckens Cod. II, 484.